

# CHRISTOPHORI

THVANI PRINCIPIS SENA-

TVS, ET HONORE, ET VITA

honestissime defuncti, Funebris

Laudatio.

2

## AD ACHILLEM HARLAEUM

Baumontium eiusdem senatus lectum à Rege

Principem.

Hoc funus duxerunt & luxerunt *AEGIDIUS BRULARTUS PETRI filius, PAULUS DANGUECHINUS, PETRI filius, IOANNES BURDINUS IACOBI filius*, gratulatus est Galliæ *ACHILLEM* suum, tantoque cecinit versus Heroi, quām potuit, heroicis. Parauit hos, ad hanc Pompa, suos discipulos *ALEXANDER POGOESAUS Regiæ Burgundorum Doctor classicus*. Idem eodem de funere *THVANI* ædedit in lucem

Carmen.



*Franciens Rassing Noens.  
Chirmyns pars et R. 1583.  
PARISIIS.*


Apud Ioannem Richerium, via Diui Ioannis La-  
teranensis, sub signo Arboris virescentis.

M. D. LXXXIII.

datacolor












38  
933







CH



Fer  
Am  
Drator

I

Cui pro  
Dum  
Ex arda  
Suf

Apud

# CHRISTOPHORI

THVANI PRINCIPIS SENA-  
TVS, ET HONORE, ET VITA  
honestissime defuncti, Funebribus  
Laudatio.

## AD ACHILLEM HARLAEUM

Baumontium eiusdem senatus lectum à Rege  
Principem.

Hoc funus duxerunt & luxerunt *AEGIDIUS BRULARTUS PETRI filius, PAULUS DANGUECHINUS, PETRI filius, IOANNES BURDINUS IACOBI filius*, gratulatus est Gallia *ACHILLEM* suum, tantoque cecinit versus Heroi, quām potuit, heroicos. Paravit hos, ad hanc Pompa, suos discipulos *ALEXANDER POGOESAEVS Regiae Burgundorum Doctor classicus*. Idem eodem de funere *THVANI* ædidit in lucem

Carmen.



*Francis Rassins Noens.  
Chirurgus pars et R. g. 1583.  
PARISIIS.*

Apud Ioannem Richerum, via Diui Ioannis La-  
teranensis, sub signo Arboris virescentis.

M. D. LXXXII I.

**CHRISTOPHORI**

I R

NOBILISSIMO CLARISSIMO QVE  
viro Achilli Harlæo Baumontio, Senatus Principi  
Ægidius Brulartus Petri filius. S.

**D**DVCVNTVR multi multis causis, ut his potius,  
quā illis hominibus tribuendum putent quod inge-  
nio consequi tandem scribendo potuerunt: At mi-  
hi præcipue ratio persuadere debuit, ut quæ de pri-  
mi Præsidis viri admirabilis laudibus diuinis ver-  
ba feci, publicis literis comprehensa, ne certe possent  
euolare (habent enim alas, ut sèpius admonuit Homerus) ea nulli po-  
tius consecrarem, quam diuine vir Achille, tibi. Nam ex scriptori-  
bus Illis quamplurimi multa scribunt ad eos, quos nec attingit ullo  
modo, nec sollicitos habet huiusmodi, quæ talibus monumentis consi-  
gnatur, scientia: Ego vero cum tibi offero quæ de admirabili diuini vi-  
ri Christophori Thuani virtute dixi, ea de quibus noctes diesque tu co-  
gitas, ea de quibus solis tu laboras, ea quæ omnino ad te pertinent, ea  
quæ sunt propriè tua, tibi non do, sed reddo, atque ne reddo quidem,  
quæ semper habuisti, sed ea in te esse dico. Nam cæteris narrare non est  
neceſſe, cum prædicent omnes, tua vita salutem Reip. contineri, atque  
propterea non solum causa tua, sed etiam sua optent semper te optimè  
**VALERE.**

211

211  
- 6.1 annos I ini D  
- 11 monsanto Y buq A  
- 11 monsanto Y buq A  
- 11 monsanto Y buq A

IIIIX M





CHRISTOPHORI THVA-  
NI PRINCIPIS SENATVS, ET  
honore, & vita honestissimè defuncti,  
Funebris Laudatio.

I quām libenter, non solum patienter, Christophorus ille Thuanus, cūm sedebat in solio supremus Iudex, audiebat eorum verba, qui ad eiusdem Tribunal, vt ad aram legum, æquitatis perfugium, salutis præsidium configiebāt: tam beneuole vos; qui grata memoria colitis optimorum virorum nomen omnium, qui huius hominis admirabilem, singularem, diuinam virtutem conati sunt propriū accedere: tam benigne vos, Auditores, mihi de tam acuto ingenio, cui non faueretis nisi essetis ingeniosi, mihi de tā amabili humanitate, cui non tantum concederetis, nisi essetis humani, mihi de temperantia tam moderata, cui non tam multa tribueretis, nisi essetis temperantes, mihi deniq; de illa, quam rebus omnibus anteponitis, quia & fortes & iusti estis, incredibili magnitudine animi & inaudita Iustitia, dicenti, tā beneuole audiencent veniam datis, profecto mihi nunc affertis, cur de vestra non debeam attentione dubitare. Cūm primū adolescentes veniebant in forum, atque ad dicendum accedebant, pudore, propter ætatem hærebant, insolētia rerum forensium perturbabantur, tam graui auctoritate, tanta dignitate oris, tam se uera summi Iudicis amplitudine vehementer ad primarum aditum causarum commouebantur. At ille Princeps Schatus tam erga bonos humanus, quām in malos seuerus, aduersus omnēs iustissimus, vultu & conspectu splendore oculorū nitidus.

## FVNEBRIS

4

colluentium sereno, tenebras illas, quas timor solet offundere  
mentibus, discutiebat, ad videndum quam viam insistere & te-  
nere cursum deberet oratio, declarabat. Illi vero tamē, quos ita  
vir ad generis humani salutem natus, à metu reficiebat, & re-  
creabat à diffidentia, quamuis de rebus maximis verba faceret,  
de illis tātū, quarum omnium multo est maxima vna ex mi-  
nimis, de quibus orationem comparo, dicebant. Nam etiamsi  
de omnibus fortunæ commodis decernebant, dicendo certè  
consequi conabantur ea, quæ cum firmis, constantibus, perpe-  
tuis, quibus cùmulatus fuit Christophorus Thuanus, bonis, in  
quibus mea versatur oratio, non sunt vlo modo comparanda.  
Itaque vestræ humanitatis est, sic mihi vos præbere, vt horum  
oculorum mihi purissimus nitor, ad spem bonā præluceat, os  
tam honestum, in quo acquiesco, os mihi, linguam, latera con-  
firmet, arrectæ vero, quæ sunt adeò teretes, aures vestræ, vocem  
excitant, cùm præsertim, multò mihi sit grauius pondus, quām  
illi suscipiebant, preferendū: nisi vero fortasse quis sustineri pos-  
se facile putat hoc onus, etiamsi ex infinitis vnam, ex maximis  
minimā huius virti, in quo summa fuerunt omnia, virtutē, mihi  
nunc sumam & tollam. Quasi vero in tanto viro, qui laudibus  
omnibus excelluit, vlla fuerit, cui par diserti aut etiam eloquē-  
tis hominis oratio, possit inueniri. An sum igitur projectus ad  
magnam audaciā, qui de rebus ita magnis, puer, vocem mitte-  
re non dubitem? Certè meum semper fuit, ne confidens essem,  
vereri. An dicendo has virtutes, ad omnes partes omnium præ-  
clarè factorum pertinentes, memoria complecti, oratione com-  
prehēdere, voce efferre, laterib⁹ dicēdo sustinere me posse mihi  
persuasi? Confidere esset impudentis, sperare temerarij, optare  
superbi. At conari tamen rem vobis gratam facere, mei profe-  
cto fuit officij. Cùm verò Themistocles suas laudes, quibus de-  
lectabatur maximē, tam suauiter animo nunquam imbibitur,  
quām harum liquidissimam & purissimam ab hoc Herōc, hoc  
est ab omniū virtutum fonte, promanantem degustabit vbera-  
tem, hac vt eadem copia, vestros animos possem aspergere, ad  
meam, quam præstare debeo vobis, operā, pertinere existima-  
ui. Videbant non inuiti Romani, imò ferebant in oculis adoles-  
cente s

A

## L A V D A T I O .

5

centes, qui sceleratos homines in ius vocabāt, accusabant, vituperabant. Quamquam non est concupiscendum, vt committāt aliquid scelerati, atque tibi afferant, cur à te, quia mali sunt, male audiant. At causas vt semper habeas, propter quas de viris optimis, multa eorum pro dignitate dicas, vt tam laudabili semper, quod ad veram laudem refertur, defungi possis munere, id vero est votis omnibus optandum. Itaque, etiamsi orator ille Græcus conqueratur, facilius hominum vulgus, aures suas conuiciis, quām laudationibus patefacere, non tamen de prudentibus intellexit: aut si intellexit, hac de tam magna, qua prædicti vos estis, prudentia, cogitare profectò non potuit. Nam etiam plebs Romana, quæ a vestra sapientia longissimè absfuit, exilij gaudio, & exultauit lætitia, cùm Octauium, ne commemorem infinitos, vedit ea qua nunc sum ætate, publicè dicentem. At laudabat mulierem. Ego virum, qui cæteris viris tantum præstis, quantū viri mulieribus excellunt. Laudabat auiam. Videri poterat id dare potius generi, quam veritati, certè nō potuisse negare ei, qua filij ad parentum funus hoc munere cohonestandū tenebantur, consuetudini. Ego verò non existimari possum, vi domestici amoris adductus, ornare nūc auiam, sed virtutis, quæ maiores habet vires, quām omnis propinquitas, admiratione commotus, patriæ parentem laudare. Nam causæ nihil est, cur iudicare quis possit, hoc vt officium faciam, me consuetudine cogi, sed persuadēt omnibus omnes rationes eius moribus me adduci, qui à pueritia ad extremā vsque senectutē in omni omnium virtutum obeundo munere constanter versari consueuit. Si vero ab ineunte ætate principium ducere, atque omnes partes persequi, tandemq; ad extremam conarer peruenire, totum esset huic vni narrationi vitæ meæ tempus transmittendū: quod tamen non sufficeret, etiamsi mihi puero natura tam longam relinqueret, quām Deus qui, prouidebat hominē usurum optime hoc munere, Christophoro vitæ dedit usuram. An igitur quia nihil vñquam est in tanto viro spectatum puerile, propterea tacitus ea prætermittam omnia, quæ simplex ætas pueritiæ, nullo simulationis artificio erudita, dare solet in pueris, ad res honestas & excellentes à natura factis, virtutum signa certissima? Nā

A iiij

## F V N E B R I S

6  
vt esset incep̄e ridiculus, qui etiamsi videret oculis agrum densis segetibus vndiq; vestitū, granis infinitis spicas singulas cumulatis simē cōfertas, alios verò proximos & affines cāpos nudos & vacuos, quæreret tamē, an ille tam fertilis & copiosus ager diligēter prius fuisset excultus: Ita cùm in oculis & in conspectu omnium Thuanus, extrema pueritia vix adolescentulus in illa Curia, hoc est in augustissimo Iustitiae templo, in maxima doctissimorum omnium virorum corona, causas forenses tam distinctè, tam disertè, tam copiosè, addo etiam, quod magistri dicendi nequidem excogitare potuerunt, tam iustè & æquè dixerit, vt ille sanctissimus frequentissimorum senatorum confessus, iam ornamentum curiæ, cuius postea caput fuit, lumen & propemodum numen, iudicarent: Nonne putidus esset, atque odiosè curious, qui tam vberem fructuum copiam, ex tam felicis ingenij veluti fundo natam cùm cerneret, dubitaret tamen an solum esset natura bonū & ingeniosum, an, id subactum & excultum, an tanquam agricolæ, præceptores bonarum disciplinarum sementem fecissent, an è cœlo in iber ille diuinus sine quo exarescunt ingenia, depluisset abundantanter? Quanquam etiā iij, qui docere conati sunt optimum esse nihil vñquam omnino discere: Ij quibus summæ curæ fuit perquirere, quibus argumētis probarent non debere nos multa studiosius quærere, facile nobis concederent & hoc darent, vt cùm puerum singulari ingenio, summa naturæ bonitate præditum videremus, quo loco, qua familia, quibus parentibus natus sit, peteremus. Hic certè Patricius clere patrem honorificé glorioseque potest. At sunt homines noui, à quibus quæritur sius quis sit pater, vt ille quæsuit à M. Tullio, Merellus. Sed Christophori non avus modo Iacobus, Aduo catus Regius, hominum sermone celebratur: sed etiam proauus Iacobus, qui maximos ordines in exercitu Charoli 7. duxit, est omnibus in ore: neq; tantū proauus, sed etiā abauus Iacob. quo vsus est Ludouicus Regis Charoli 6. Magistro Pal. cū laude, cū gloria nominatur. Cū igitur illos, post hominū memoriam p̄stantissimos viros, omnes homines cōpletantur memoria; quāvis tot annis, tot seculis ab hac ætate longissimè positos, quis Augustinum Christophori patrem non recordando videt,

## L A V D A T I O.

7

do videt, cum js, & tā clarus splendore sit laudis, quām maiores eiusdem fuerunt, & horum ad temporum veluti oculos, multò propius accedat? Is tamen suorum qui maiorum laudibus efferti, suis proprijs virtutibus gloriari merito poterat, hoc filio suo Christophoro, quo vno, aui, proaui, abauui, omnes virtutes contineri videbat, solebat triumphare. Itaque, vt Rex Cyrus, cum Ly-  
sander proceras arbores elegāti ordine in quincuncem directas spectaret attentius, facere diutius Rex non potuit, quin prædi-  
caret hanc ad se laudem pertinere, sua manu has esse plantatas arbores: Ita vir ornatissimus, qui tam fœlicem arborem, ex qua, vt ex illa queru dodonæa reddebantur oracula, plantauit, cūm tot mortalium oculos in suum filium coniectos videret, hunc omnes intueri, ab omnibus suspici, amari, laudari: exclamasse dicitur sæpius, etiamsi nihil vñquam moderatius & modestius eo fuit: Hunc ego tibi ô Gallia suscepī, alui, institui. In hanc lau-  
dem consentiebant omnes gentes, omnes omnium ordinum homines. Nam etiam Agricolæ: Ut ex uno grano, dicebant, multa nascuntur alia, ita ex uno viro bono, natus est hic, in quo sunt omnes bonitates. Milites fœliciorem quam Pompeium prædicabant, qui ipse quidem summis in amoriibus & delicijs fuit, patrem tamen à quo alienum habebant ciues animum, ha-  
buit. Canebant clarissimè poëtæ. Qui tanti genuere tales pa-  
rentes? An, vt blandi sunt, assentabātur? Cur igitur historici qui vnam sibi proponunt, & vnam sequuntur veritatem, scripserūt Marcum Imperatorem, optimum principem, non tam magnū beneficium Reipub. cūm eius hostes interfecit, quām magnum damnum & malum dedisse, cum vitam Commodo, homini o-  
mnium incommodo & perniciose, dedit: At Thuani patrem multa quidem in Rempub. contulisse beneficia, maxima, vtilif-  
sima, ad omnem laudem ornatissima, sed nunquam æquè Reip. profuisse, quām cum tam admirabilem filium Reip. generauit?  
Itaque sanus nō esset, is, qui vobiscum, medici, non sentiret. Vos appellari medicos medicorum filios propterea dicebatis, quod  
qui medico patre sunt vñi, facere medicinam multo salubrius  
sunt vñi: Ita quem à tanto Præside patre procreatū & erudi-  
tum videbatis, præsidem vobis videri singularem dicebatis.

Quid

Quid iurisconsulti? Si pater hunc vnicum haberet, atque, vt est  
in iure ciuili, pro multitudine liberorum daretur immunitas,  
hic vnuis satis esset: Ius trium aut quatuor liberorum petere non  
opus fuisset. Probabant hæc responsa prudentum homines di-  
uini Theologi, atque sapientem filium esse patris gloriam sapi-  
tissimè dictum esse, ab illo sapiente, prædicabant. Non tā multa  
protulisse tam multorum & tantorum virorum de vnius ado-  
lescentis moribus testimonia, nisi veritus essem ne viderer ho-  
rum omnium inuidere laudi, qui cùm dicuntur ita multa cum  
laude de Christophoro Thuano dixisse, hoc assequuntur, vt ip-  
sa de virtute verè & prudenter existimasse videantur. Sed venia  
mihi dari velim tamen ab alijs infinitis, quibus non hunc habe-  
re possum honorem singulis, vt quid senserint, dixerint, scrip-  
terint, commemorem, quamuis id maximi beneficij loco pone-  
rent, si tam frequens ornatissimorum virorum cœtus audiret,  
quantum honestati tribuendum putarunt, ob eā causam, quid  
viro præstantissimo laudem, qua fuit dignissimus, tribuerint.  
Hic alius mihi: Dic huius viri de singulari humanitate multa  
me prædicasse: His omnibus videbor sentire quid sit humanitas.  
At non vacat. Alter mihi: Dic me tam religiosi hominis pietate  
admiratum fuisse: Hi omnes iudicabunt existimare me potuisse  
quævera sit pietas. At non est otium. Ad alia maiora festinat ani-  
mus. Enimuero progredi non possum longius, consisto inuitus,  
fixus hæreo. Miserum me quænam me vis, tam vehemens, tam  
arctè nunc tenet cōstrictum? Heu de scelere meo fateor. Da ve-  
niam Patria carissima mater optima Lutetia. In vrbe tua natus  
est Christophorus Thuanus: id tibi ad æternam laudem est im-  
mortale decus, Ego tamen his de tuis ornamenti reticebam.  
Peccavi, fateor: sed tamen hanc cur tu culpa mnolis ignoscere,  
non cōmisi. Tuus hic ciuis multa quidem multis alijs beneficia  
dedit vrribus, sed cum vni tibi præcipue vt prodesset, nihil dili-  
gentiæ, nihil studij, nihil laboris prætermiserit, existimabam ho-  
minū memoriarē tenebras nullas offundi posse, quæ facerent vt  
minus vlli viderent eum virum Lutetianum fuisse, qui tā mul-  
ta, ad omnes consequentes annos, reliquisset in eadem ciuitate  
penitus impressa suorum meritorum vestigia. Nam septem illæ  
quæ

## L A V D A T I O .

quæ vnius de hominis patria certant vrbes , aut nunquam inter se contendissent, aut leuiter commotis ad contentionē animis, sex vni facile concessissent, & secundum eam dari litem passæ fuissent, si vt Christophorus suis monumentis exornauit Lutetiam, ita vel Rhodum, vel Athenas suis beneficijs poeta affecisset: Hic igitur qui viu*w*dicitur non habuisse vbi in suo pede poneret, habuit sanè mortuus quam in vrbem se reciperet . Itaq; à tam multis cùm inuitaretur, causæ plurimū certè fuit, cur nō inuitus ea cederet ciuitate , in qua versibus , qui iuberentur solum vertere, locum relictum nullum voluit ille, qui ab homine doctissimo philosophorum dictus est Homerus . Hic cùm vicinus morti, ex suo, sicut appellabat, ergastulo, aut etiā sepulchro , ex eundum sibi sentiret , Dijs gratias egisse dicitur , quòd esset Atheniensis: At Christophorus Thuanus, vniuerso hominum generi natus , atque multò gloriiosius , quām doctor Platonis , de quo loquebamur, mundanus, etiam si quòd esset Lutetianus, fortunæ suæ gratulari potuit: Nam certè si Scyphitis fuisset, clarus ita nunquam Themistocles fuisset : tamen gaudendum magis & lætandum ei fuit se ita meritum esse de patria, vt non tam ea, ciui*s* gloriari posset, quām ciuitas ciue suo triumphare , de quo exultimaret, quod olim de Scipione Fabius, & prædicaret. Non enim omnes, qui maximis in vrbibus nati sunt, in magno propterea nomine & gloria fuerunt: sed qui magnas vrbes auxerūt amplificarunt, conseruarunt, ij profectò ob tanta merita, omnium gentium literis, atque linguis celebrati fuerunt . Sed quæ literæ tamen, cōsignare monimentis, & capere tantas laudes possunt, quæ lingua satis explanatè, quæ tandem oratio disertè satis eloqui, quæ vox tam firmis lateribus clarè potest, vt oportet, personare, aut effari? Quām cecidit res igitur commodè mihi , qui, sicut artificio dicendi plerique solent eruditæ laudatores, non id ago vt iacentia excitem, sed iam erecta demonstrem , non vt obscura illustrem, sed illustrissima videam, non vt mutis & surdis fictos sonos ædam, sed eas, quæ tot populorum sermonibus percrebuerunt, res gestas exaudiām. Hunc mater sine vlo doloris sensu pèperit. Quem tandem M. Tullium . Sanè tam mirus orator non elatius augeret hoc portentū, etiamsi, vt rem supra

## F V N E B R I S

10

omnium fidem illa sua traiectione veritatis efferet, omnibus, quibus potuit omnia, dicendi viribus contenderet. Ego vero non multum ad veram laudem interesse puto, an mater, dum scitu filiolum enititur, doloribus quos afferat natura, differatur, sed hoc denum est prædicatione celebrandum, si, tanquam alter Hercules, in cunis infans aliquid admirabili dignum laude, quod matri doloris memoriam auferat, patri vero iucundissimam & honestissimam voluptatem afferat. Hic cum ex utero calido in frigidum est aerem ingressus, non sicut infantes solent, vagit. Quis tandem? Virgilius. Bella quidem haec optimo de poeta fabella, atque haud scio, an ipse, qui diuino ingenio mutabat naues in nymphas, aliquid maiori admiratione dignum canere potuerit. Enim uero Christophorus Thuanus, cum in forum venerit, ea aetate qua gloriatur venisse Crassus, atque non minus attente iam tum hominum animos dicendo tenuerit, ita commouit omnes, ut de adolescentulo plerique illud usurparent, quod a summo dicendi magistro dictum est, *Hic etiam eloquens aliquando in cunis vagit.* Cum igitur tum melle dulcior, cum summa voluptate influeret in omnium aures oratio, an aluearia commuebimus & concutiemus, ut apes conuolantes in os pueri videatis, sicut in illa tenella labella pueruli Platonis: Cur, hanc ut pueritiam exornem, id fingam, quod de Octauio comminiscuntur? Puerum nempe ranis imperasse ut tacerent, illas vero, quamuis admodum loquaces & garrulas, audientia fecisse. Quasi uero non liceat adolescentulum audire in foro, tot circumfusis hominum millibus, in confessu, & conspectu tot grauissimorum, & aetate, & auctoritate, & sapientia virorum, ita de rebus maximis dicentem, ut non ranas silere iubeat, sed tam multos viros, quorum unus instar est infinitorum hominum, suanitate orationis perfusos sic alliciat, ut omnes taciti & attenti oculis, auribus, animis, liquidissimam & purissimam voluptatem degustet, hauriant, imbibant. Aliter enim longe se habuit & comparauit Christophorus Thuanus, quem vitam plerique instituere omnes solent ita summo loco nati nobiles adolescentes, qui, si causas aliquot dixerint, subito priusquam vsu foreli percalluerint, in magistratum Tribunal inuadunt. Sed quemadmodum Cato excusa-

## L A V D A T I O.

II

excusabat multorum culpam, cum negaret fieri posse, ut essent illi Catones: Ita optimis & honestissimis adolescentibus tristis patruus, seuerus magister, & morosus Censor dabit veniam, si, etiam si cupiant, & conentur, Thuani non esse possint similes, quia vix, ac ne vix quidem, pauci possunt esse Thuani. At patronum potentissimorum clientum suscipiebat, dicendi gloria præclarissimus patronus, quia scilicet ad amplissimos magistratus nō patebat aditus. Quæ res igitur ad hunc locum viam munire potest? Pecunia? At locupletissimi patris erat filius, atque nondum illis temporibus erat in Gallia verum, quod de suo a-sello, auro onusto, dixit ille qui non tam Equites & equos, quā hunc asinum aureum amare videbatur Philippus. An auctoritas & gratia? At Præsidis erat filius, qui honos cùm per se tum excelleret, & raris hominibus pauci mandarentur id temporis magistratus, tum ab eo viro gerebatur, qui dignitatē, quæ crescere non posse videbatur, prudentia & sapientia atque omni virute mirum in modum augeret. An verò, vt æquum est, ingenium & pudor parare viam ad magistratus debet? At ingenio sic abudat, ut illud ingenij tantum flumen, facile etiam amplissimam Reip. Parisiensis nauem posset ferre, & sine ullo errore, sine offensione, secundo & tranquillo cursu tot vectores ad tutissimum portum perducere. Erant autem iij mores, qui etiamsi non regentur optimarum disciplinarum consilio, sua vi tamen ipsi suo se in officio possent continere: Qui si, vt generosis animis accidere solet, efferentur elatiū, & exultarent alaciū, erant illarū artium studia, quæ etiam turbulentos animos sedare possent, & ad omnem æQUITATEM rationis, temperare. Nam quāvis tum Latinæ literæ, lucem intueri cœperant, Græcæ tamen adhuc in illorum temporum ignoratione, ut in densis tenebris versabatur: Christophorus tamē à pueritia ita cupiditate discendi exarerat, vt ingenij lumine, quod ingenium hoc ardore accéderat, non tantum Latinas, sed etiam Græcas literas perlustraret, inqueretur, cerneret, atque nullas interpretationes Latinas, aut Gallicas, quæ tum erant nullæ, desideraret. Cùm verò, puer, imperatoriam illam maiestatem, cœpit salutare, sibique persuasit vigilantibus iura subuenire, ut sibi liqueret in iure non tranquillo,

B ij.

## F V N E B R I S

12

ut sibi luceret in his tenebris, quo studio sibi non est conatus  
 prælucere: Nam etiam si iam tum interpretes fuerunt ij, ex qui-  
 bus est, qui Lucerna iuris dicitur, tamen hæc ut luceret lucerna  
 clarè satis, plurimum erat olei consumendum. Non enim lumē  
 hoc, quod nostra videt ætas, se fuderat I. Cuiacius, sed in iure ci-  
 uili familiam ut duceret, acie mentis cernebat satis, quod iter  
 esset tenendum Christophorus. Hunc in tantum virum intuēti  
 mihi, non occurrunt, etiam ex illis maiorum gentium oratori-  
 bus, vlli, qui sint vel eloquentia, vel doctrina, vel disciplinarum  
 varietate, cum Thuano comparandi? Nam illi Romani patro-  
 ni, non quid fieri iure deberet scientia quærebant, sed quid esse  
 factum existimari posset, ex coniecturis, tanquam è vestigijs, in-  
 uestigabant: Nisi fortasse Ælius ille Gallus illud, ad Ciceronem,  
 canebat non præclarè. At Christophorus vtramque & discendi  
 laudem & iudicandi gloriam animo fuerat complexus. Iam igi-  
 tur diuersas diuersarum scientiarum & dissimilium hominum  
 artes vnum tenebat. Tum verò qui vnum id agebant, ut iuris ci-  
 uilis prudentiam cognoscerent, suis eam verbis, hoc est Latinis,  
 domi apud suos disceabant. Christophorus quidem Latinas li-  
 teras tam habebat familiares, quàm domesticas, sed tamen ut  
 leges Romanas huiusmodi notis incisas, legeret, prius insisten-  
 dum fuit in his verborum vestigijs: Ita ad sententiariū laboré  
 accedebat etiam verborum industria. Quid præterea cum iure  
 Romano, cum iure Pontificio, ius Gallicum, hoc est ius ciuile  
 nostrum, quod latissimè patet, coniungendum erat? Veniant i-  
 gitur, & si audent omnes illi excellentes ingenio se cum uno &  
 solo Thuano Romani comparent oratores. Ego vnde uiginti  
 natus annos in foro dixi, Crassus. Ego eadem aetate Dolabellam  
 accusauī, Cæsar. Ego apud Iudices, non maior natu, verba feci,  
 Pollio. Ego etiam minor causas egi, Nerua. His omnibus respo-  
 dere potest Thuanus, Quod vos omnes fecistis, ego solus etiam  
 maturius perfeci. Vos oratoris tantum munus; Ego præterea iu-  
 reconsulti officium feci, aut si vobis omnia benignius concedo  
 & liberalius largior, vos ius vestrum tantum, ego & vestrum &  
 præterea meum græcè, latinè, gallicè perdidici. Ego: sed vereor,  
 ne si diutiū virum inducam de suis laudibus, etiam quæverissi-

ma sunt,

## L A V D A T I O.

13

ma sunt, prædicantem, huiusmodi videatur ab eius moribus o-  
ratio alienissima, qui cùm faceret omnia laudibus omnib. om-  
nes in partes dignissima, nihil tamen vnquam, vt summus in  
modestia maxima pudor fuit, de sua virtute: quæ omnium voci-  
bus percrebuerat, vel paucissimis verbis usurparet. Neque tamē  
eam non rationem tenebat, quæ à prudentissimis hominibus  
tradita hoc affert vt quam quisque laudem sibi tribuere debet,  
doceat. At huiusmodi præcepta huc redeunt vniuersa, vt si quis  
deprimatur maledictis ad ignominiam, is res suas efferat lau-  
dibus, atque ita se ad gloriam erigat. Hæc igitur omnis de se  
prædicandi, Christophoro non erat vsui disciplina, quia nullus  
inueniri potuit ad faciendum conuicium tam vehemens, qui  
huc tandem euaserit, vt grauissimum virum conaretur commo-  
uere, atque ad opponendum contra calumniam impudentem  
moderatum propriæ laudis testimoniu incitare. Imò vero, cùm  
maledici multi soleant animum offendere, huic laudatores, à  
quibus bene verissimas ob causas audiebat, erant non iucundi.  
Deum immortalē quām est difficile hominem eum posse mete-  
pingere, & cogitatione fingere, qui nunquam ab illa parte of-  
ficij sit visus declinare! Nam etiam ille Christophorus Thuanus,  
quo meliorem virum nullus, nisi impudetissimus, vnquam au-  
sus esset à deo opt. max. votis vllis, tacitus, optare, etiam ille cu-  
ius in purissimo pectore, vt in sanctissimo templo virtutes om-  
nes habitabant, etiam ille, qui nihil nisi de laude cogitabat, cu-  
ius in bene agendi studio omnes curæ euigilabant, existimatus  
est paululum à suis iustissimis & æquissimis moribus deslecte-  
re. O me miserum, ô me infelicem! Eone me redactum, vt quia  
de seuerissimo, & verissimo iudice dico, omnis propterea sit  
dissimulandæ veritatis erecta mihi facultas? Ergo si tam perfec-  
ta natura habuerit aliquid minus simile sui, id vt proferam: id  
pallam vt faciam? Id ob oculos vt ponam? Nimirum fieri non  
aliter à me potest. Certum est igitur mihi hac de re non quidē  
libenter, sed liberè tamen dicere. Christophorus Thuanus om-  
nibus quidem cæteris legibus, quæ ipsius spiritu ducebant ani-  
mam, parebat, at vni sicut postulabat equitas, cui seruiebat, vni,  
vt obtemperaret animum inducere non poterat. Cuni enim

B iiij

## F V N E B R I S

14

lex sanciat *Præses patienter suas laudes auditio*: Hic *Præses* sic erat homo, ut quamvis ad omnes bene audiendi partes se excitaret, eos tamen, qui aliquid de virtute, qua prædictus erat, narrare inciperent, non ferret, & quamvis esset amantissimus veritatis, eos tamen, qui verissimè omnia ipsius de laudibus dicebant, loqui non permetteret. Itaque mihi cum grauem illum onspectum videre, cum seuerum illum vultum & os venerandum videar intueti, animo, puer, & omnibus artibus contremisco, neque me virtus ipsa, quæ tantas habet vires, ad has persequendas laudes, ad quas mihi se latissimus aperit caput, potest incitare. Ab hac enim me laudatione reprimit eiusdem, de quo dico, modestia viri, qui vni Deo, cuius causa volebat & faciebat omnia, laudem esse tribuendam, dicere solebat. Quamobrem vos hominis tam diuini fratres, eiusdem germanè persimiles, hoc date, obsecro vos, germani vestri voluntati, ut defunctum munere meo incipitis, etiam si quam plurimas consultò laudes tacitus prætermitto. Non enim animo deficio, Nicolae diuine Charnutensis Episcope. Tu, sicut ille noster patronus, qui cum ut nomen, ita dignitas & mores tibi sunt communes, tres pueros excitasse in vitam dicitur: Ita nos tres pueros, dicendi hac insolentia debilitatos & exanimatos, ex maximo timore, tua humanitate recreasti & refecisti. Nam in te, Augustinum dicam, an Augustum? in te, quem omnis senatus intuetur, cum oculos conuertebam, magnos ego spiritus sumebam, quia mihi veniebat in mentem quam soleas optimis, ut est haec nostra, causis studiosè & libenter, Regius aduocatus adesse. Vos autem tam diuino patre dignissimi filij, quem animum mihi non addebatis? Nam, etiam iij, qui parentum sunt vita & moribus dissimiles, patres suos laudari facile patiuntur: vos autem virtutis paternæ hæredes, vos, qui non tam rei familiaris, quam huius domesticæ gloriæ hæreditatem cernitis, quo vos gaudio affici non existimabam, cum patris laudes, quas ipsi vobis inuenistis, audiebatis? Quanquam vester cōspectus, qui maximo fuit orationi meæ adiumento, nescio quo modo nunc eidem incipit aduersari. Nam quia præsentes adeatis, hoc dānum affertis mihi ut ve-

## LAUDATIO.

15

rear in os ego vos laudare. Date veniam, si vestro beneficio vti  
me non dico, cùm me à vestris laudibus reprimitis. Nam quid  
facitis, si non pulcherrimum orationi meæ ornamentum eripi-  
tis? Si hinc abesses Christophe Thuane, & belli & pacis arti-  
bus vir præstantissime, dicerem te non tantùm opibus Sancti-  
Germanum esse, sed Sanctum & Germanum hoc est natura op-  
timum & integrum, quem nulla vnquam vitij macula corru-  
pit, qui non modò sanctus es, quia tibi boni nocere nolunt, per-  
diti non audent, sed quia homo innocentissimus prodes omni-  
bus, nemini noces. Nisi tu præsens adesses Iacobe Aymeri Thua-  
ne, dicerem consentientibus omnibus, te consiliarium eum ef-  
fe, qui omnium maximè consulas Reip:te, qui religioni das o-  
peram omnium sanctissime, te, qui rerum diuinarum & huma-  
narum scientiam es consecutus, etiam hac ætate. Nam cùm te  
à studijs grauioribus paululum remisisti, quid non soles, littera-  
rum humanarum elegantia, scitè & venustè perpolite? Negare  
noli. Reclamabút aues illæ tuæ, quas tu, Apollinis Cygnus, car-  
minibus mirum in modum canoris prim' celebrasti, Itaq; nūc  
illæ totum orbem terrarum peruelantes tuum nomen auspi-  
cijs decantant fœlicioribus, quām illæ, quæ sunt in Prouerbijs  
Phaonis aues. Sed quid ago: in tuas laudes, a quib. arcet me tua  
præsentia, parum abest, quin ingredior. Nam me, pueri, Thua-  
ni vestrorum oculorum & animorum contuitus, ad Patrui, ad  
Patris laude vocat. Hic Renatus est, ille Christophorus Thua-  
nus. Quid me Renate oculis istis splendide nitidis acriùs aspe-  
etas? Cur mihi non satis bonum oculum, à quo familiae reique  
tuæ splendor inueuit nomen, non adjicis? An quia de tuo patre  
Ioanne Thuano Consiliario Regio, supplicum libellorū magi-  
stro, viro oinni genere laudis cumulatissimo, nihil dixi? fateor:  
Qui grandior eratnatu primum hic locum debebat tenere. Ne  
tamen, anime mi, sis iratus, Renate, mihi. Nam veniebam ad te  
in quo vnico filio Pater tuus videtur esse mihi Renatus. Sæpe  
tibi, quas audis ab omnibus, paternæ laudes acres ad virtutem  
admouent aculcos. Nostris verbis non opus est, aut si verba ne-  
cessaria sunt, ecce tibi eloquētissimi hominis Mauricij Bressij  
omnibus exornata dicendi laudibus extat atque est in manibus  
oratio.

## F V N E B R I S

16

oratio. Cum tu hac ætatula iam scias latine: Iam tu nō tantum facta parentis legere, sed etiam, quod tuum est scitum ingenium, Quæ sit virtus, poteris ex illis verbis tam venustè latinis, cognoscere. Hac de laude nihil tibi concedet Christophorus frater patruelis tuus, qui tam bona spe in posterum prælucet, ut qui pueruli ingenium præclarissimum proprius aspicerit, nō exclamare dubitet, O puer qui nomine patrem, nomine auum refers, si quod sperant & optant omnes hanc vitam ducis: Tu Christophorus Thuanus eris. Arrexit excellentem animum HARLÆVS, cùm nominatus est à me Christophorus. Puer, ealaude, quam ex matre Catharina fœmina, tāto viro, cui nuperat dignissima, consequutus est, commotetur ad veram gloriam: Quād igitur vehementius incitatur & fertur ad summā virtutem, cùm in patrem suum intuetur, omnium virtutum exemplum ACHILLEM. Bene facis Christophore, qui te nō dignum putas qui fortunarum hæreditatem adeas, nisi proximè ad patris virtutes accedas, quæ in supremo dignitatis gradu præcellentissimum virum collocarunt. Ut enim princeps senatus a Rege lectus est & nominatus, non quia gener erat singularis viri, qui magistratum tantum gesserat, sed quia iam dum omnibus artibus, quibus res tanta honorifice geri potest erat instructus. Ita non quia unum te generauit pater, propterea tantæ dignitatis tibi spem facis, sed quia tibi eandem prudentiæ, eandem fortitudinis, eandem temperantiæ & iustitiæ laudem parere & comparare tibi cupis. Aut igitur nepotum, quæ est non in dubia expectatione gloria, aut filiorum qui spē omnem superarunt, virtus, dolorem matri honestissimæ, omnibusq; virtutibus ornatissimæ, quem ex viri tam diuini morte cœpit, adimet, aut huic morbo, quem mors attulit, nulla fieri poterit vñquam medecina. Sed mitigabitur hæc acerbitas & abstergetur ex animo prorsus, cùm mater optima insuauitate aliorum nepotum acquiescat, quos ex filia Anna, omnium fœminarum omni genere laudis præstantissima, natos gaudet: At ex illo heroe PHILIPPO HVRALTO Procácellatio, ex illo in quo vna summa sunt omnia Cheuernerio suscepitos non lætatur solum, sed etiam merito gloriatur. Mariam vero suam, sanctissimis

## L A V D A T I O.

17

Etissimis religionis adydis, ad quæ paucis patet aditus, abditam non s̄æpe quidem videbit: At ingrauescens ætate mater sentiet se quotidie alleuari huius diuinæ virginis precibus, quæ gratia apud Deum plurimùm potest, cui se totam consecrauit, quæ pietate erga Deum exardescit, charitate erga parentes inflammat, isque facer ignis est, quem semper alit, & quem permittit nunquam Vestalis extingui. Enimuero tres filiæ, tres filij, tres nepotes: In hanc eniū diuinitatem hic ternus aptissimè conuenit numerus, totque alij nepotes, quos mater, tanquam bona Dea, complectitur, iam dudum me ad laudē patris & avi reuocant, à qua tamen non auerti me, quia totius nobilissimæ familiæ decus omne, quod dicendo incipiebam persequi, referendum est ad patrem Christophorum, à cuius sanctissima disciplina omnes hæ, quæ maximæ sunt, laudes sunt profectæ. Tum verò non est necesse tam multa vobis egregiè facta oratione depingere, cùm vobis ea sint omnia scripta in memoria, atque firmissimis tanquam notis impressa & consignata. Nam facerem vobis iniuriam, si tot virtutes alio posse capi loco, quā vestra memoria, aut honestius habitare posse, quām in eiusdē tanquam domicilio, existimarem. Quæ cùm ita sint, videte, Auditores, quām pro noua, inusitata, & inaudita virtute, dicēdi genus assumam ab oratorum omnium oratione auersum, abhorrens, alienum. Illi, cùm iam nihil habent quod dicant, dicendi finem ita faciunt, vt, quasi diffidant auditorum memoriæ, repeatant, colligant, congerant omnia, quæ priùs sparserant, vt ea nimirum omnia faciliùs possint auditores ita recordari. At Christophori Thuani admirabilis, singularis, & diuini viri egregias, eximias, excellentes virtutes sic memoria tenetis, vt verendum mihi sit, non quidem eorum quæ dixi, ne in obliuionem veniatis, sed ne illa tam multa egrediè facta quæ certitis animis, a me, sicut sunt, esse prætermissa, clariùs animaduertere, & propterea grauiùs accusare me possitis.

C



AD CLARISSIMVM VIRVM ACHILLEM  
HARLAEV M BAVMONTIV M PRIMVM  
Præsidem, Paulus Danguechinus. S.



VOD publicis literarum notis impressum datur  
foras, ut in manus hominum perueniat, id in lu-  
cem æditum vulgò dicunt. Dictum bene omni-  
bus de libris, sed quod tamen huic orationi pro-  
priè conueniat, quam consecro (Diuine vir-  
ACHILLE) tibi. Cùm enim ea in tuo pre-  
clarissimo nomine appareat, videri profecto  
maxime debet esse in lucem æditá, quia accedit ad te, qui uniuersarum  
es Galliarum lumen. Orat verò te, & obsecrat hæc Oratio, ut se tam  
libenter admittas, quam humaniter supplices reorum innocentium li-  
bellos accipere soles. Quo pro tuo tāto beneficio, confirmo tibi non esse  
litigatore, etiam de fortunis omnibus decernentem, qui appetat cupi-  
dinis litem secundum sē dari, quam te cupio & opto semper optimè  
VALERE.





CHRISTOPHORI THUA-  
NI PRINCIPIS SENATVS, ET  
honore, & vita honestissimè defuncti,  
Funebris Laudatio.

**A**LEXANDER Magnus, cùm id ætatis esset, vt  
pueritia prima non esse posset non paruulus,  
atque tum nec animo capere diuersatum gen-  
tium regiones locis infinitas, nec mente com-  
plecti populos multitudine innumerabiles,  
nec cogitatione comprehendere gentes in-  
credibili varietate nationū diuersas, sed vnā intueretur solum-  
modo græciam, vbi tum pater Philippus bellum gerebat, quia  
mentis aciem, puer, ad videndum vterius & longius acuere nō  
poterat, existimabat pro illa sua, quæ tum erat prudentia, nihil  
sibi ad res gerēdas relinqui, si pater hanc, cui tribuebat omnia,  
orbis terrarum partem armis vinceret, in eamque Rex impe-  
rium teneret. Non dissimulabo, sed liberè fatebor humanitate  
vestra fretus, Auditores, me, quem non admodum grandem  
natū videtis, in eodem errore quo affectus est Alexander puer,  
versatum priūs fuisse. Cùm doct̄or noster, quam in sententiam  
diceremus proposuit, & de argumento constituit, expleuit ani-  
mum gaudio mihi, quia ad dicendum de Christophori Thua-  
ni diuinis virtutibus, vt compararem me, qui præcipiebat,  
causam idem profecto afferebat, in qua nemini dēesse potest  
oratio. At cùm idē præceptor noster statuit, vt quem ante me  
dixisse vidistis, is dicendo mihi præuerteret, dicam verè vt res  
est, Auditores, certe ægritudine quadam animi commoueri  
me sensi, non quod dolor em anteponi mihi adolescentulum

## FVNEBRI\$

20

nobilissimum, mihi tam charum, vt, si quæ essent meæ laudes, libenter in eum transferrem: Sed quia sic ego tum mecum tacitus reputabam. Cui primæ datæ sunt dicendi partes, adolescentæ est perquām mirum acri ingenio prædictus in modum. Is præter eam, quam publico, & communi præceptoris dat operam, hoc consequitur præterea, vt doctora domestico & familiari vtatur, quo nihil ad omnem omnium literarum cultum elegantius ars & natura potuit vñquam expolire. Tum videta adolescentes esse dicendum sibi in confessu & conspectu ornatissimorum virorum, quibus suum ingenium probare, præfert in ea eius viri, quæ præclarissimum lumen oratori præfert ad gloriam, laudatione: Id verò est totius anteactæ vitæ fructum amplissimū capere. Quibus igitur stimulis tam generosus non excitabitur ad bene dicendum animus? Persequetur omnia oratione: Nihil mihi, de quo faciam verba, reliqui faciet. Ometu derelictum ab omni iudicio & prudenter puerum! Sed ignolite, Auditores: non enim sum versatus iam tam imprudenti cogitatione diu: sed me collegi, atque ad me cùm redij, statim intellexi duobus nobis pueris eum virum proponi, non cuius virtutes, cæterarum, etiam maximarum virtutum, quibus excellunt præstantissimi viri, continerentur finibus, sed quæ tam longè latēq; pertinerent, vt eas infinitas, innumerabiles, nō dicam incredibiles, quia nullæ sunt ita supra fidem omnem, quæ de Christophoro Thuano videri non possint veræ: sed has innumerabiles & immensas laudes, etiam omnes omnium ætati eloquentissimi homines, summa vi dicendi & contentione nō posse assequi videantur. Itaque iam rotus ab illo, qui fueram, commutatus: Cōtendat sane meus condiscipulus dicendo quæ vehementer intendere vires poterit: Facere tamen nō poterit, quin ea mihi reseruet, quæ non modò orando ego complecti, sed nequidem vlli post me possint recensere numerando. Sic est, sic accidit, sic omnino evenit. Sed videte adolescentis mihi amicissimi, animi æquitatem. Maximas quidē res dixit. Quid enim in Thuano non est maximum? Sed cùm delibare & carpare ex alijs ætatis partibus posset maiores, maluit à pueritia initium suæ orationis ducere, atque veritus est ne si à communis

eorum, qui laudant, discederet consuetudine, id nullo more facere videretur, sed ob hanc tantum causam, ut maiorem mihi & ampliorem de rebus maximis dicendi materiam præripere: Aut si habebat in animo ad maiora peruenire, non putabat pueritiam & adolescentiam tot virtutibus esse cumulatam, ad quas enarrandas tam longam esset necesse orationem comparare. Enim uero siue sua voluntate id fecerit, siue non libero cōfilio, non dubitatis, quin mihi dicendum sit de prætura vrba-na, quam ita Christophorus gessit, ut honestissimum mercatorum omnium ordinem celerius quam vlli secundi venti, tranquilliūs quam vllus nauigationis cursus, ad tutissimum portum perduxerit. Præfectus est rei frumentariæ quondam Pópeius, eaque potestas maximo ponebatur honoris loco. Cui verò nō vnius tantum huiusmodi rei, sed omnium rerum magistratus mandatur, quam maiora in eum potestatis ornamenta conferuntur? Quanquam tum demum erant ingentia cum maximi viri excellenti prudentia in summam dignitatem afferebātur. Mercatores ex animi sententia quæstumvberimum fecerant? Tantum lucrum parui pendebant, cum id quantum erat, cum ea fœlicitate, quam ex prudentia Christophori consequantur, comparabant. Alij fregerant nauem, iacturam & dānum omnium bonorū fecerant? Saluos se, incolumes, fortunatos & beatos hoc prætore futuros existimabant, atque ad portum sine vlla offenditione se appulisse, quod in hanc fidem & tutelam venissent, sibi videbantur. Tum frequentissimæ literæ ab urbanis ad socios in extremis terrarum oris mercaturam facientes dari, plenissimæ iucu ndissimæ voluptatis, quib' alij alijs nō cessabant communem omnium salutem gratulari. Nam si Catoni maximum debetur beneficium, quod trecentis mercatoribus, seditionis quidem, sed tamen ciuibus Romanis, in gratia apud Cæsarem ponere conatus sit, atque vt ab Uticæ portu soluerēt, ipſi metu soluti, perfecerit: quæ tandem satis magnæ possint agi aut etiam haberi huic Catoni Gallico gratiæ, qui non trecētis, sed infinitis, non seditionis, sed moderatis ciuibus, honestissimis hominibus, ornatissimis viris, res eas omnes, quibus genus hominum vitam & spiritum ducit, non solù momni periculo, sed

## F V N E B R I S

22

omni periculi timore prohibuerit? Ad Ianum mediū sedebant illi mercatores Romani: Lutetiani verò in huius prudentia Iani, qui longissimè in omnes partes prospiciebat, acquiescebant. At nos discedere cogimur ab huius virtutis laude, quamvis ea extremis vix labris attigimus & delibauimus, quia tam multæ sunt aliæ, quæ nos ad se, sui vocant, alliciunt, adducunt admiratione. Nam cùm audimus Christophorum Thuanū illi Areopago, vbi de cæde quætitur, Quæsitorem præesse, vllâne vis retinere nos potest, quin accurramus, vt hoc decus, hoc ornamētum videamus? Non enim noctu ius dicitur, vt ab illis (quibus cùm non luceret, pronunciabant, opinor, sæpius, non liquere:) sed luce palam, in oculis omnium vnicuique ius suum redditur. Timebant illi Areopagitæ ne si oculos adiecissent, commouerentur vehementius: At illa oculorum acies, quam nullus vñquam auri splendor petstringere potuit, ad nullum vñquam vlliū rei, quæ potest oculos afficere, conspectum, hebescebat, quominus ea quæ discernenda, quæ separanda, quæ tribuenda sunt omnibꝫ, videret omnia. Itaq; vt maiore, quā Alexáder, Scipio continentie tulit laudem, quod etiamsi puellam illam omni elegantia corporis venustissimè perpolitam vidit, eam tamen tantum vidit: Ita Christophorus Thuanus, cùm & omnia cerneret oculis, quibus veluti internūcijs ad rerum nouarum cupiditatē sollicitatur animus, neque tamen illa mens diuina vllis blanditijs, vllis illecebris, a suscepto semel consilio, quod rectissimam æquitatis viam spectabat & sequebatur, tantillū abduceretur, maiorem profectō vñus hic tā seuerus & verus Iudex consequutus est ex sua temperatia gloriam, quām omnes illi graues Areopagitæ, qui licet essent constantissimi, nō audebant tamē has blandissimas dominas tanquam Gorgoneum caput rectis oculis intueri. At Christophorus non intuebatur tantum, sed firmitatem animi integrum, & mentis robur invictum aduersus omnes motus & oratorum & ororu tuebatur. Neque tamen erat ille tristior & durior, qui ad omnem humanitatis rationem ita fuit moderatus, vt quoties condemnaret, toties ingemiseret. Sed existimabat se in bonos omnes futurum crudelissimum, si in paucos sceleratos remis-

## LAUDATIO.

23

sus & dissolutus fuisset. Itaque sic omnibus æqua videbatur esse hominis iustissimi sententia, ut etiam ipsi rei, qui nō omnino erant immanes, sed virtutis aliquem sensum habebant, maiorem caperent dolorem quod tam diuino viro digni supplicio visi fuissent, quam quod ad necem & cruciatum miserit traherentur. Nam omnem mortis sensum temporis tollit articulus, at notas infamiae inustas à iustissimo viro, delere vix villa potest unquamætas. O immortale igitur ad æternam laudem illud, quod Henricus secundus, nulli regum princeps laude villa secundus, illis temporibus de iudice tam integro fecit iudicium! O vocem illam tanto Imperatore, eā qui mittebat, & tam sancto legum antistite, ad quem perueniebat, dignissimam. Causam dixerat de vi reus, homo potētissimus, sed qui tanta potentia ad iniuriam abutebatur sceleratissime, homo nobilissimus, sed qui hoc præcipue agebat, ut se audaci nobilitaret facinore. Hic optimorum virorum, & quidem mul torum testimonij oppressus, ad querendam aliquam suis sceleribus, quæ subiecta erant oculis, latebram, non poterat se cōmouere. Ipse maleficiorum suorum victimus conscientia, à sua etiam impudentissima audacia, ut negaret factum, non potuit impetrare. Quin omnes aduocati, patroni, defensores, quāuis eloquentissimi, callidissimi, acutissimi, ingenio tamen tantum non poterant, ut aduersus hanc veritatem, rationem aliquam, non dicam honestam, sed iniquam, fictam, falsam, denique aliquā causam inuenire, comminisci, excogitare possent. Reus igitur tam nocens, tam certus, & sua confessione & suorū omnium iudicio iam damnatus, è legū poenis, è iudiciorum suppliciis eripere se posse consideret? speraret? aut etiam optare auderet? Quia tamen apud Regem gratia plurimum poterat, duxerat enim in exercitu primos ordines, & secunda prælia vir fortis multa fecerat, nullus audebat iudex quicquā grauius de tam splendido, de tam generoso reo statuere. Vnus vero Christophorus, qui iustitiae gladium vehementius, quam villā vim, villā arma, villam mortem metuebat, præsenti & forti animo pronunciat, illum potentissimum, illum nobilissimum, illum, qui inter Regis amicos non ultimum tenebat locum, fe-

## F V N E B R I S

24

cisē contra leges, quæ extremum supplicium constituunt, videri. Neque verò hoc extremum supplicium quisquam poterat interpretari, ut Sillanus cùm acerbitate sententiæ suæ in coniuratos Catilinæ socios mitigauit. Iam enim dux ille ducebatur. At Rex cui tum erant necessarii huiusmodi qui magnam habent rei militaris scientiam, capitis condemnato reo supplicii gratiam fecit, omnem culpam remisit. Admirari omnes, missitare quamplurimi, etiā clariū prædicare ex iis qui Regi aderant in concilio plerique, nullam ei deberi venia homini, qui Christophori Thuanī iudicis innocentissimi esset sententia damnatus. Quin verò, exceptit ibi Rex, ea causa est q̄ me faciliū ad ducit ut reo <sup>deum</sup> venia, quia Christophori Thuanī iudicio qui supplicio addictus est, is mihi iam dedisse poenas videtur maximas, quod tam prudēti, tam sancto iudici dignus supplicio visus est. Quam vellem Deus immortalis fecisset, Henrice rex optime, ne te ille fortunæ ludus, heu nimirū cruentus, nobis eripuissest. Ex hoc sanguine omnes in genus humanum profluxerunt calamitates! Nam quid tot bella multò atrocia quā illa, quæ à Poëtis appellantur plusquam ciuilia commemorando vestras aures, & animos tantarum calamitatum recordatione vulnerem vestros? His fluctibus adeò turbulentis agitatam, his procellis ita immanibus pene obrutam, his ventis tam vehementer omnes in partes perflantibus, vexatam nauem Lutetianam, qui consilio regere, constantia defendere, virtute posset tueri, quis repetiri posse iudicem existimaret? Quasi verò ibi tum nō adesset Christophorus Thuanus. Sic est profectò ut me admonetis, Auditores. Nam cùm fides, cùm prudentia, cùm magnitudo animi queretur, facile in hoc uno inueniri potuerunt omniū virtutum, quæ tot pestes oppressas tenerent, præsidia. Itaque illis extremitis temporibus princeps senatus, primus Præses nominatur. Cum præter labore, quæ erat necesse capere, præter inuidiam & odiū aduersarum partium, quod erat necesse subire, præter vitæ periculum, quod oportebat adire pro reip. salute, nihil aliud Christophoro proponeretur, fecit non inuitus & quidē facilè passus est, ut magistratum tantum gereret, quo ornaretur minus quām

quā oneraretur. Imò verò hic erro. Nam quia fortiter ferebat Christophor' tantū oneris, cōsequebatur propterea tātū honoris. Itaque delatum & vltrō mandatū magistratū, quē solus administrare poterat, si deprecatus à se fuisset, quidnā à bonis omnibus audiuisset, cūm meritō sit Cato ab amicis reip. amantisimis reprehensus, quod in petendis magistratibus nō satis operæ & studii tum posuisset, cūm respub. viro magistratu dignissimo maximè indigeret. Rex erat tū Carolus puer. Quare rebatur qui personam Regis, dum excitantur hę tragedię, in iudiciorum theatro sustineret, atque regium enim quondā erat hoc munus, ius diceret. Animaduertendum erat seuerē in rerum nouarum cupidos. At qua potentia, quibus opibus viros? Iudex erat necessarius tam fortis, vt innocens ipse iniustum pœnam subire non dubitaret, modò nocentes & quissimo supplicio afficiendos curaret. Hęc omnia perficere posse existimabatur, vt perfecit postea Christophorus, ita seuerus iudex atque verus, vt grata essent quæ faceret omnia, quāvis nil gratię causa faceret. Enim uero apud Atheniēses dicitur nō nemo videri voluisse grauis. Alebat igitur barbam, quæ promissa in pectus longē dependebat, amplissima verò hinc atq; hinc genas vestiens, largiter pilotum syluam fundebat. Ecce tamen idem bellus homo, tam magnifice barbatus, in cōcione populi dabat auribus omnia, multitudinis leuitati obsequebatur, plebecule voluntati seruiebat, neque assentiebatur tantum, sed etiam assentabatur. Ibi tum Phocion: Cur igitur, dixit, ô mancipium, cur hanc barbam non radebas, si induxeras animum sic adulatri? Enim uero, o Phocion vir optime, radebat barbam sēpe Christophorus, at nunquam tamen est visus, etiam potentissimis regibus blandius aliquid, quā iustitiae grauitas & auctoritas postularet, tribuere. Non enim solus esse videri tibi debes Phocion, qui potentissimo Regi quondam responderis, te & amico & adulatore Alexandrum non vti posse. Quanquā in Alexandri regno si vixisses, atque tibi præsens ille Magnus instaret pro suo imperio, vt aliquid faceres, quod alienum à tua virtute putares, haud scio an cōstantiam illam tam vehementem, de qua nihil vñquam re-

## F V N E B R I S

26

misit Christophorus, retinere potuisse: Nam Reges quod volunt, id valde volunt, à quibus iratis quām metuendum sit, cū Achilli demonstrat Calchas Homericus, ille profecto vates non vaticinatur, non diuinat, non multò ante denunciat ea, quę sēpissime non eueniunt, futura. Enim uero tamē hīc quidem non habeo quod possim tam magnificè de constantia Christophori prædicare. Cū enim Reges nostri, qui, quō plus possunt, eò magis imperant sibi vt minus velint, ne à tam iusto viro aliquid minus iuste peterent, honestissimo prohiberentur pudore, imò cùm in mentem eis nihil vnquam vencrit a Christophoro inuito per vim exprimere, aut si à certis ho minibus incitati sint, eos iustitiæ amantissimos facillimè potuerit iustitiæ antistes suo consilio ab huiusmodi cogitatione auertere: Nihil est certè, vt dixi, cur hic admodum Christophori constantiam laudare possim, quam nulla vis vnquam eorum, qui soli poterant omnia, visa est vehemētiū tentare. Sed quemadmodum Reges optimi nostri potentia suavuntur ad salutem, atque vires suas ipsi temperant & sepe frangunt, ne valeant ad perniciem illæ: Ita contrà reperiebantur homines potentissimi, qui ad perfringenda iudicia, suas omnes opes videri volebant experiri. Illi sentiebāt leges, ad quas animū attendebat Thuanus, non esse aranearū telas. Harum enim laqueis cùm irretiti semel tenebantur, hærebant quanti quanti illi quidem essent. Fremebāt viri generosi, frendebar, furenter insaniebant, vim, arma iudici intentabant. Christophorus etiamsi videbat quām durum esset eisdem habere sic iratos atque ita armatos, etiamsi mortem ante oculos sibi videret esse propositam, tamen vt ab officio suo deflechteret, his omnibus, quibus maiora nulla possunt esse, periculis nunquā potuit commoueri. Si qui ad res honestas præmiis alliciuntur, digni sunt laude: In maiori nomine & gloria esse debent, qui nulla mercede incitati, modò periculum adire nō sit necesse, sua adducuntur ad virtutem voluntate. Quid igitur satis honoratè, satis honorificè dici potest hoc de singulari & diuino viro, qui summa animi & corporis contentionе ad omnia præclare facta latus & alacris ferebatur, etiamsi nullo alio quām

Siue mortis adduceretur præmio? Nam quam tandem aliam mercedem ille, in quo spes reip. omnes sitæ erant, sperabat? Fallor hic ego. Nam quod faciebat Christophorus, non gratis faciebat, alliciebatur præmio, incitabatur mercede. Quia tandem? Virtute, quæ viro optimo merces est pulcherrima & amplissima, quam vitæ damno & iactura qui comparabat, maximum eum luctum facere Christophorus Thuanus sibi persuaserat. Quem igitur terror mortis non poterat ab ullius officij æquitate dimouere, eum nulla vis pecuniae ab hac mente potuisse abducere? Satis afferebant ut causam tenerent, qui iustum causam afferebant. Nam nulla alia munera offerre nemo audebat, cum scirent omnes quām male verbis accepti fuissent ii, qui persuadere conati essent, ut aliquid acciperet is, qui sui muneris, non autem munerum aliorum rationem habebat. Negabat placere sibi ut rogaretur. Nam si res erat iusta, æquitatis causa iamdudum volebat omnia: si iniqua videbatur, quæ tandem esse poterant tantè diuitiæ, quibus suam fidem vellet commutare? Nam quām execrabatur & detestabatur illos fures decumanos, quos dicebat verissimè hic noster Catō in auro & purpura vitā agere? Itaque de pecunia audebat nemo cogitare. Siverò quis hoc sumebat, ut lapillū aliquē offerret, audiebat. Me tu lapidibus petis? Quid? an quia lucent clarissimè, eorum splendore perstringere mihi mentis oculos posse existimas? At uos homines elegantes, harum intelligentes deliciarum, huiusmodi lapillos frangi dicitis, & inutiles esse ei, qui fidem mulierculæ datam fregerit, erunt uero utiles mihi si iustitiam violam, sanctissimam, cuius ego sum custos, virginem? Has tamen tibi habeto auiculas certe, quæ ab extremis mihi sunt terris missæ. Canoræ sunt mirum in modum, atque modulos concentu miro temperant, aures profecto gaudebunt, & delectabuntur tibi tuæ. Aspergauit Christophorus & seuerius intuens, Abi in malam rem malis auibus cum hoc tuo aucupio, scelus, incautæ sunt aues, quæ similitudine vocis humanae capiuntur, eadem me vero garrulo sonos sic capient, ut, quæ tam imprudentes sunt, videantur esse me prudentiores? Quasi vero non etiam dent operam auiculæ, ut tam diuersæ

cantuum flexiones numerosé conueniant & aptissimè cadat.  
Ego igitur & meæ fidei & legum fides ita vel remittam , vel  
inæqualiter contendam, vt audiatur à me aliquid discrepans,  
aliquid absconum, aliquid absurdum: Ita vir humano generi à  
Deo immortali dono datus, omnia munera, tanquam hostiū,  
non existimabat esse dona, atq; non solùm non omnia, nō so-  
lùm non semper, non solùm non ab omnibus, sed nihil vñquā  
ab vllis accipiebat, dicebátque illam Græcis verbis scriptam  
legē, quæ dat veniā, vt iudex aliquid accipiat, à Græculo quo-  
dam nummulario esse excogitatam. Itaque ius sic reddebar,  
vt si conseruata semper æquitas ita fuisset, Iureconsulti locum  
huic etiam interpretationi nō inuenissem: Ius etiam dici ha-  
bita ratione non eius, quod factum esset, sed quod fieri debui-  
set. Quæ vox igitur, quæ latera, quæ dicendi contentio tā cœ-  
lestes & diuinæ laudes in cœlum, in quo nunc earū auctor est,  
verbis poterit efferre? Dicuntur summi Imperatores nonnulli  
emisisse auiculas, quæ de victoria nunciū celeriter ad amicos  
perferrēt. An ita aues illæ, quas homo grauissimus à se dimisit,  
euolabunt ad omnes populos, gentes, nationes, quæ hanc vir-  
tutem, quam nunquam viderunt, amant, vt mortalibus omni-  
bus nuncient à Christophoro Thuano auaritiam esse vietam,  
domitas omnes libidines, superatas omnes omnino malas cu-  
piditates? At iamdudum, quæ harum est omnium auiū velo-  
cissima Fama, tot alis concitata, tot linguis personans, orbem  
terrarum hoc tam glorioso nomine compleuit. O te præter a-  
lias tuas, quæ te beatissimum reddunt, virtutes, propter hanc  
familiaritatē, FAI vir ornatissime, fœlicissimū! Ille vir diuinus,  
qui tantū bonis viris animum adiiciebat, amauit te ex om-  
nibus plurimū. Tu huius antiquæ domus quām moderata  
quām bene morata disciplina eset, videbas. Tu religiosus &  
verus testis es , vt quæ tuæ fidei est apud omnes opinio , si  
etiam de re dubia arbitrari te dices, omnibus testimonium  
tuum probares. Cum verò de Christophori Thuani domestici  
motibus, quarum de honestate nemo dubitat , testimoniū  
dices sanctissimè, apud quem tandem tua pro re tam certa  
non valebit fides & auctoritas? An mihi excitandi sunt in vitâ

## L AUDATIO.

29

illi, quos ille funestus & pestifer annus sustulit? Nam sunt illi testes quām pro tot consuanda mortalium vita, salutē suam Christophorus neglexit. O humanitatem inusitatam! O charitatem patriæ inauditam! Per omnes tantæ vrbis partes pestilens lethalis cōtagionis lues impurissimum suum virus fuderat. Tam multi sic exhalabant animas, ut quos anima affluerant, eodem tereorimo morbo inficerent, & eadem morte interficerent. Omnes ex omnibus partibus longissimè fugere, forum à Iureconsultis relinquī, ægroti à medicis destitui, à sacerdotibus templa deserī. Nam quām horreda, quām tetra tam diræ mortis facies? lacebant cumulati cadaverum acerui, infiniti mortales, eandem miserrimam mortem expectantes, flebiliter lamentares, frustra auxilium implorabant. Omnes ab aspectu abhorrebant, à cōgressu recedebant, à sermone longissimè refugiebant. Vnus aderat omnibus, & in vrbē tam funesta Christophorus versabatur, quem neque timor ad discessionem communem incitare, nec calamitas cōmunis ad sui priuati periculi cogitationē impellere, nec mors denique, præsens oculis quæ obuersabatur ad reip. salutē deferendam, potuit commouere. Nam hæc ad tanta mala accedebat etiam scelerorum hominum audacia, qui in tanta calamitate occasionem ad diripiendam vrbem esse oblatā sibi putabant. Non enim tantūm hoc proximum templum, cuius flamas Christophorus præsens curauit extinguendas, atque ut reficeretur postea prouidit, non solum hoc templum, sed alia omnia & priuata & publica loca deflagrassent, nisi cū summo capitis periculo vir, non sibi sed patriæ natus, præsens vrbem tutatus esset, à qua omnes honestissimi viri discesserant mortis metu perterriti. Enim uero qui domos omniū, qui fortunas, qui tempa Deorum immortalium, qui vrbem, qui rēpub., qui vitā & salutem omnium defendit, tutatus est, conservauit: Illum tam vtilem, tam beneficū, tam fortem propugnatorem, seruatorem, parentem, quis tandem casus tā nobis infestus eripere potuit? Heu miseros nos eheu: Nam etiam tu, Cœlum, quamuis auctum essem & ornatum hoc, quē exceptisti, diuino animo, tamen his mensibus quamplurimis ordi-

D iii

## F V N E B R I S

30

ne consequentibus, maximam vim aquarum & lacrymarum  
profundere non cessasti: Quasi tu satis nostram calamitatem  
flebiliter lugere, & dolenter satis posses lamentari. *Has ad e-  
xequias venire, quibus est commodum an tempus est?* Annum sep-  
tuagesimum quintum agebat vir, cuius memoriam exci-  
pient omnes anni consequentes, atque tot labores, quos reip.  
causa suscepit & pertulit, hanc ætatem ingrauescentem affi-  
xerant: hoc tamen grauissimum pondus, cum animi robore  
sic ferret, ut primus in Senatum veniret, & exiret ultimus, ni-  
hilque senex de contentione forensi iuuibus concedereret,  
cum in eo præter consilium & prudentiam nihil senile esset,  
cum eum denique omnes, si fieri posset, optarent immortale,  
ad eius execuas venire, non erat tempus. Nam cui commodū  
tādem, cum hēc mors vniuersæ Galliæ non tantū incōmoda,  
sed maximas calamitates attulerit? Has ad execuas veniāt: An  
tantū ut dolorem oculis, qui mœrorem augent, hauriāt? Sed  
tamen adest innumerabilis totius vrbis omnium maximæ  
ab omnibus partibus populus, ecce ornamenta, ecce lumina  
reip. suum decus, suum lumen extinctum lugent. Nepotes a-  
uum, filii patrem, vniuersus populus lamentatur patriæ pare-  
tem. Prosequuntur lacrymis hoc funus omnes non ficti, non  
conducti, sed veri & voluntarii ploratores. Ergo illud ingenii,  
illa virtus, illa humanitas. Sed vehementius commoueri vos,  
humanissimi viri, sentio. Nolo tanto dolore humanum vestrū  
pectus effodere, & certe in tanto luctu exanimatus, animam  
diutiū non possum ducere. Impeditur vox lacrymis, gemitu  
perturbatur, singultu intercipitur. Non enim loqui potest is,  
qui dolet penitus ex animo, & ex intimis sensibus ægritudine  
quantus quantus est excruciat, sed tantum luget, tantum sus-  
pirat, tantum ingemiscit.



acryma  
lamitiae  
i. H. 434  
num  
oriam ex  
s, quos  
entem  
imi robo  
ltimus  
oncede  
enile ob  
immorta  
commo  
ncōmo  
veniae  
auriaſ  
i maxio  
ce lumi  
Nepotis  
atri& pu  
ficti, n  
d' ingen  
oueri w  
um velt  
s, anima  
is, gem  
i potef  
gritudi  
antum

AD

VIRVM

BAV

DE CH

Sen

AL

Apud Ioa

teranc

M


3

AD CLARISSIMVM  
VIRVM ACHILLEM HARLAEVM  
BAVMONTIVM, SENATVS  
PRINCIPEM.

DE CHRISTOPHORI THVANI  
*Senatus modò Principis, viri dignissimi  
laude Immortali, Morte.*

ALEXANDRI POGESAEI,

Carmen.



PARISIIS.

Apud Ioannem Richerium, via Diui Ioannis La-  
teranensis, sub signo Arboris virescentis.

M. D. LXXXIII.



ACHILLI HARLAE O BAVMONTIO,  
ET SENATVS, ET VIRTUTVM OMNIUM  
Principi, Alexander  
Pogœfæus.

**H**O s etiam mœsto saceri de funere versus  
Non tristi à nobis accipe fronte, Gener,  
Ecce audax facinus: sibi viuere posse videntur,  
Quæ vitam è media carmina morte petunt:  
At mors non vitam dat, sed rapit: hanc sibi vitam  
A te, qui viuis, carmina nostra petunt.  
Aeternam sacerō paries hoc nomine famam,  
Tam bene qui generat, quam bonus hic Gener est.

PALESTINE  
Hannibal Rappurum, his Diu Iovani P.

LXXXVII



DE CHRISTOPHORI  
THVANI PRIMI PRÆSIDIS FVNERE,  
ALEXANDRI POGOES AE I,  
CAR MEN.

**V**SA graui quamuis iaceas afflcta dolore,  
His tamē infirmis pedibus subsistere nitēs,  
Prosequere indignum quod mæsta Lutetia  
funus,  
Totāque ponē sequens longo ordine Gal-  
lia dicit.

Solāne supremum neque tu comitaris honorem,  
Tu neque disrumpens infracto pectore questus  
Feralem ad tumulum quo maximus occubat Heros,  
Affaris miseros lugubri carmine manes?

Heu quæ præcipiti mihi vox leuis excidit ore?  
Ofælix animi, diuine Thuane, roganti  
Da veniam, quid enim tam diro vulnere nobis  
Turbatis, facies exanguis, & horrida vultu  
Immani, obuersans oculis Mors tristibus offert  
Non miserum? nobis quid tam miserabile lethum  
Illiudens, possit, vana vel imagine, lœtum  
Fingere? te quamuis cœlum gaudentibus astris  
Accepit, tantōque bono lœtetur, & orbes

A ij



## DE MORTE

4  
Ætherei rosonent cantu Pæana canoro:  
Attamen illa suo sic Hospite regia gaudet,  
Vt doleat nostros eadem miserata dolores.

Obscurum ergo caput tenebris Sol abdidit atris,  
Dum querulo grauiter suspirant flamine Venti.  
Ipsum etiam multos cœlum lacrymabile menses  
Vix tandem eluxit, quin multos ordine in annos,  
Nocte diéque suis indixit, flebile, luctum,  
Sideribus: Certant Hyades pluialisibus Hædis  
Præcipiti Arcturo pugnat nymbosus Orion,  
Inuersaque furit lymphatus Aquarius urna.  
Has tot regnator fluuiorum Sequana, ripis,  
Indignatus aquas, superatis, turbidus ibat,  
Séque suis pelli de sedibus ante fremebat:  
Irato medium sed dum perlabitur urbem  
Agmine, substitit, gemitus, suspiria, planctus,  
Et querulas voces quas imo pectore rumpunt  
Tot populi, audiuit, mortémque agnouit: Abundat  
Non iam inuitus aquis, verū sibi flumina mœrens  
Maiora aeris surgentia fluctibus optat,  
Vt magis hunc possit tantum deflere dolorem.

Sed tamen à tantis animos auertere curis  
Possimus: Aura etenim si blanda afflauerit aures  
Voce leui & leni, quæ mulcent gaudia mentem?  
At clarus primis voces orator ab annis  
Quas misit iuuenis celebrans sua rostra Thuanus,  
Exaudit, penitus nisi surda obduruit ætas  
Nostra: Puer prima vestit lanugine malas  
Iam tamen hic lauri sibi Phœbus ephœbus honestum

CRISTOPHORI THVANI.

5

Fronde caput cingit: Stat: magna turba corona  
Cur oculos tendat, cur doctas arrigat aures  
Miraris? caussas h̄ic quo solet ore Thuanus  
Patronus dicit, iam quærit nemo frequentem  
Quæ vis, quæ virtus oculis animisque senatum  
Defixum teneat. Nam quis non sponte sequatur,  
Gallicus Alcides pendentia vincula lingua  
Cùm semel adduxit, cùm vincetas impulit aures?  
Surgere dicturus sic debet s̄ape, sedere  
Qui cupiet, dignus præstanti nomine, iudex.  
Non alijs gradibus tandem sublime tribunal  
Ascendit, maior tam magna sede Thuanus.

Huc ibam: conchâ sed Triton personat aures:  
Audis quo laudes hominis Deus intonat ore?

Tam multis currunt qui nostrum nauibus æquor,  
Hunc nisi Christophorum celebrant: Hæc anchora firmas  
Omnes una tenet fortunas, portus & unus,  
Vnâque tam multiis statio tutissima nautis.  
Sequana iam dudum strepitûque vndâque loquaci  
Æquoreos docuit resonare hæc nomina fluctus.  
Quin, admirantes, cœlesti laude procellæ  
Suspensæ assurgunt, in uito & pondere pendent.

Aedidit hæc clara Triton præconia voce:  
Namque tuam, quamvis sis tanta, Lutetia, classem  
Hic mercatorum qua princeps arte regebat  
Néptunus? Sed non imo maria omnia fundo  
Exhaurire parat, demens, in carmina laudes  
Exigua immensas qui deriuare laborat?  
Tum me Astrea oculis, quibus emicat acribus ardens

A iii

## DE MORTE

Aspectat: fateor, mora longius exiit, ante'  
Dicere debueram, qua relligio ne colebat  
Iustitiam, cuius custos sanctusque sacerdos  
Sacra ferens nouit mysteria cuncta Thuanus.  
Cretenses Mino a suum præcellere iurant?  
Ut sunt Cretenses! Quæsitor nam licet urnam  
Hic moueat, quid agit, qui ductis sortibus urna  
Cæcropidas pueros solemini morte necabat?  
Offusus cæcis tenebris, & nocte profunda  
Demersus, tenues exanguis territat umbras:  
Clarus purpureo sed lumine, iura Thuanus  
Tot viuis dixit populis, non mortuus: utrum  
Subdubitas num sit sententia iustior vlla?  
Accipe Iustitiae lances, hac pone scelestus  
Quod reus admisit, facinus, modò transfer in illam  
Supplicium statuit sceleri quod lege Thuanus:  
Tolle, vides geminæ librato examine lances  
Utque hinc utque illinc æquali pondere pendent?  
Procliuis tamen hic magis est ad præmia Judex.  
Tempore quo pacis tranquillæ tutæ quiescunt.  
Otia, surgentes magnum est sedare tumultus,  
Quos commota fori ciuilia iurgia tollunt.  
Hos dum componit, dum fluctus temperat omnes  
Christophorus, quibus, heu tempestas horruit armis?  
Jmpius humano respersus sanguine Mauors  
Ibat ouans, ciuesque fremens Bellona cruentos  
Egerat in ciues, iam quos afflarat Alecto  
Anguibus, horrendum quibus effera sibilat atris,  
Cum fratribus in fratres ferrum Dea Dira veneno

Armat, in aduersos natorum tela parentes  
Cùm torquet. Tanto sic coniurata tumultu  
Gallia vertebat proprias in viscera vires.  
Ipsa, caput populis, obessa Lutetia, muris  
Non bene credebat, quin ruptis arcibus, intus  
Intus equus Troianus erat: sed cornua cantu  
Horrisono quamuis streperent, & machina fæuæ  
Rumperet ignipotens horrenda tonitrua pugnæ,  
Vox audita fuit semper clarissima legum,  
Quam Themis aspirans sacro mittebat ab ore  
Christophori, qui certa canens oracula verus  
Respondit vates, sed non, ut Apollo, canebat  
Ambiguus varias ambages, quem tamen æquis  
Sol oculis vidit, non inuidus, ordine totos  
Bisdenos actis dum vertit mensibus annos.  
Hic verò toties dum Sol utrinque recurrit,  
In toto vidit quid tandem pulchrius orbe?  
Nunc igitur luctu quam longa est, ampla remugit  
Curia, quæ graibus demum viritur anxia curis,  
Atque suum demum testatur vulnera nomen.

O res humanas, celeri quas turbine casus  
Incertus voluit! Iácerent hæc si tamen vlla  
Fundamenta homines, firmis quæ immota iacérent  
Sedibus, abiectum quando caput hoc genns alto  
Efferret cælo? Sed mors nox atra: Quid ergo?  
Non caput è densis Latonaæ filius umbris  
Attollit? Quando mandauit semina terræ  
Sparsa Ceres, surgit viridi de gramine culmus,  
Alma seges latis iam longè fluctuat agris

Iam neque sola suas mirantur Gargara messes,  
Cùm Bacchi princeps intus computruit humor,  
Pampinus allabens multas tegit ebrius vuas.

Vera quidem sunt hæc, non fit medicina dolori  
Tam magno tamen his, quæ sunt verissima, verbis.  
Tristius infælix nam quando Gallia funus  
Fleuit? non etiam quando tot funerala luxit,  
Non duxit, quid enim? Diri spiracula Ditis  
Fæda, per obcœnas fauces graecolentis Auerni,  
Turpiter impuram large eructantia pestem,  
Sanguineam saniem supera ad conuexa, vomebant.  
Templa sacerdotes sua deseruere, senatum  
Purpurei patres, pallentes: ægra medentum  
Tota manus frustra tendens ad sidera palmas,  
Errita voce suum sibi Phœbum in vota vocabat,  
Non experta suum: Nam quando infestior arcu  
Ætherea Graios strauit iaculatus ab arce?  
Tum nihil herbarum iura omnia iuris habebant  
In morbos, herbis Pestis non porrigit herbam.  
Hæc sed ubique licet præsentis mortis imago,  
Coram attollebat pallentes effera vultus,  
Funereasque faces licet intentabat, utraque  
Sæua manu, in misera fælix tamen urbe remansit  
Christophorus, propriæ vitæ securus, at unus  
Communem, cuncti quam deseruere, salutem  
Procurans, solus præsenti occumbere morti  
Pro cunctis, votis factisque, Thuane, petebas.  
Ergo tuam contra communi morte redemptam  
Mutarent omnes: At mors sua ferrea iura

CHRISTOPHORI THVANI.

Non mutat, sed nos quas possumus, has tibi rite  
Mittimus in ferias, tibi debita dona: Fuiſti,  
Cum faceres omnes iustos, iustissimus unus.  
Quis facere ergo tibi solemnia iusta recusat?





CHRISTOPHERI THAM  
ACHILLI HARLAE O BAVMONTIO,  
ET SENATVS, ET VIRTUTVM OMNIUM  
Principi, Ioannes  
Burdinus.

*I qua meis numeris debentur præmia, Achille,  
Hæc à te data sunt præmia magna mihi.  
Nam te, quem nullus, nisi tu, superauerit unquam,  
Cùm proprijs cùm te laudibus orno tuis:  
Perfici his verbis ut credant omnibus omnes,  
Et me verum, est quæ gloria magna putent.  
Esse fides in me te propter summa videtur,  
Nulla mihi merces amplior esse potest.*





Ad eundem , de eiusdem magi-  
stratu, Carmen.

**V**T quondam cœli facies diuersa, nitescit  
Hinc Solis radius, purumque per aer aridet:  
At pluiae lacrymis illinc substristis, eodē,  
Vt sunt iuncta simul contraria, tempore  
luget:

Sic sua non paruo distinguens maxima luctu  
Gallia, dissimilis sibi, eodem gaudia ridens,  
Ex quo multa gemens suspiria pectore dicit.  
En ut aquas oculus fundens extinguitur alter,  
Alter ut illustri præclarus lumine splendet.  
Christophorus primi qui princeps ante Senatus  
Viuebat, vixit: Sat largo flumine vultum  
Quis merget, totus quamvis extillet in yndas,  
Fonte velut labens Arethusa puella perenni?

At tenet hoc, maior tam magna sede, tribunal  
Qui virtute viros omnes superauit ACHILLES  
HARLAEV S: Nobis ut mulcent gaudia mentem,  
Eia ut cor latto saliens in pectore ludit!  
Inuideat metuo ne Diua Lubentia Gallis,  
Et Dealætitiae doleat sua gaudia vinci  
Diuina, humanis: Tamen hæc tibi (Gallia) cœlo

*A Ioue sunt demissa, vetat sua dona benignum  
Quis donare Jouem, vel funditus omnia fundat  
Quæ conclusa tenet fœcundo Copia cornu?*

*En tenebris igitur nubes ut inhorruit, ecce  
Vt liquido clarum Sol fundit ab æthere lumen.*

*Sed quæ tam longè, tam latè porrigit umbras,  
Nox licet inuoluit tam vastas undique terras,  
Nox mare, quo tantus terrarum cingitur orbis,  
Nox cælum, terras, quod et aquora continet unum:  
Vix si Aurora tamen tremulis scintillat ocellis,  
Si caput exoriens vix tollit ab aquore Thæbus,  
Hæc vix dum primæ tenuissima spicula lucis,  
Hæc dubiæ nondum bene lucida tela diei  
Nox timet, atque rapit volucrem, vaga, turbine currum.  
Et fugit, ut celeres trepidi fugere sagittas,  
Infesto victor quas Parthus vibrat ab arcu.*

*Ergo extincta licet mors cæca lumina nocte  
Illi, qui fuerat lumen numenque Senatus,  
Clauerit, has ventura dies citò differet umbras.  
Atra suas tenebras hæc Nox diffudit in urbem,  
Vna tot immensas quæ latis finibus urbes  
Urbs capit, ut caput est: Tenebris heu funditus atris  
Omnia nigrescunt: Pullata Lutetia vestem  
Mutauit, niger & cunctis color iste colorem,  
Tam longa fusus caligine rebus ademit.  
Aeternam tamen hanc metuis cur Gallia noctem?  
Sponte sua celeri tibi vertitur oxyus axe,  
Atque tibi properat iam iamque albescere cælum.  
Dum loquor, ecce, vides? sacro pulcherrimus ore*

En tuus exoritur radianti lumine Phœbus.  
Ut caput illustri præclarum luce refulget!  
Sunt quām acres oculi, qui protinus omnia cernunt!  
Respicimus, sed ne tantifulgoris hebescat  
Lumine nostra acies: Oculos vel acutius acres  
Quām quos aduersus Solem Jouis armiger armat,  
Non caligantes tantus perst̄ ingeret ardor?  
Nunc ubi nox? ubi quas modo formidauimus umbras?  
Nunc ubi sunt tenebrae? sunt nunc ubi nubila? Salue  
O clarissima lux & lux charissima ACHILLE,  
Filia quem Nerei conceptum immanibus vndis  
Non sœnum genuit mater, sed amabilis vni  
Heroina suo dias in luminis auras  
Ædedit Heroi, cui si quis Pelea solum  
Comparat, ex formica hominem sic efficit, huius  
Ut pater exiguum formicarum agmen, in altos  
Myrmidonas, totidemque homines mutauit. Ad arces  
Troianas nisi rex Iachus duxisset Achillem,  
Græcia conuersis luxisset victa trophæis:  
At qui Gallorum regnator vincit Vlyssem  
Hunc tantum, quantum scopuli, Laertia regna,  
Atque Ithacæ sterili suspensus ab arbore nidus,  
HENRICI regnis humilis se subiicit altis,  
Regnis, quæ cælo magnum caput ardua tollunt:  
Gallorum summus, solus regnator ACHILLEM  
Elegit, non qui Troianas verteret arces,  
Quas firmis heros defendit viribus Hector.  
Sed qui armis legum, quibus est fortissimus, urbem  
Seruaret, quam tot iam tum fundauit ab annis

Hectorides Francus tam magnæ gloria gentis.  
Si seruare fuit semper quam perdere maius,  
Gallicus hic, illo quam Græco maior ACHILLES?  
Nec satis, Æacida, faustis tu bella parabas  
Auspicij: Quid enim tam longa, fæmina, palla  
Cum traheres caudam, muliebris vestis habebat  
Virtutis, quæ sit tam mascula tamque virilis,  
Omen? An auspicium faciebat, quam tua fortis  
Briseis tibi rapta manus armaret in hostem?

At dum tranquillæ componit publica pacis  
Otia, dum patriæ funestos deiicit hostes,  
Iustitiae gladio pugnans HARLAEVUS ACHILLES,  
A magnis rebus multò ad maiora vocauit  
Tantum ad facta virum princeps HENRICVS, & uni  
Illis, tam longe via quas diuisit, in oris  
Absentis cupide tribuit, præsentibus idem  
Quod multis, constans, primisque negauit amicis.  
Quid si tum præsens, o magne HARLAEE, fuisses?  
An tibi clara minùs, quam nunc, luceret honoris  
Gloria? nam tales aspergeret inuidus umbras.

Quod Regem tanti maiestas mouerit oris,  
Nil mirum, Rex se Minòa videre putabat.  
Clara suos oculos, quibus emicat acribus, uni  
Huic Astrea dedit: Sed quid radiantia tela  
Hæc memoro: Non hæ sunt, hæcad prælia, vires  
Maiores: Nam quæ plenissima flumina currunt,  
Quæ mentes rapiunt omnes, dicentis ab ore  
Tam facundo tam fœcundo? tanta moueret  
Non, etiam quæ sunt durissima pectora, virtus?

Zoilus hæc, nisi tu longè semotus abesses,  
Quanquam tum præsens aderas, nec sit licet illis  
Montibus aeris educta Aruernia cælo,  
Quæ tam præcipites penitusque proculque recedunt  
Vallibus, hanc posset virtutem abscondere, surgit  
Et superat victrix sublimi vertice montes,  
Aerij montes imis ut vallibus extant.

Ergo te hos illos oculis quibus aspicit æquis  
Tot populos, summa vidit Rex Lynceus arce:  
Absenti mandatus honos non est tibi, frustra,  
(Da veniam, nec enim dubitabo dicere verum)  
Absenti frustra delata insignia gaudes:  
Nam præsens aderas Nec enim tam magnus Achilles  
Corpus es, ingenio mens optima prædicta tanto,  
Atque Astrea, suis ad te quæ venit ab astris  
HARLAEVS demum est, HARLAEVS nil nisi virtus.

Absens exigua virtus regione teneri  
Tanta potest: hæc est, quæ terras continet omnes,  
Hæc, quæ Neptuni se cuncta per æquora fundit,  
Hæc quæ vix capitur, licet id capit omnia, cælo.

Ergo animos nihil est hæc cur absentia tollat.  
Tu fortasse tamen meditaris verba, diserto  
Ore ut agas Regi, propter data munera, grates.  
Desine, tota sibi nam Gallia vindicat ingens  
Hoc donum: Patriæ (tibi quæ carissima) mentis  
Præripis officium gratæ: nam ferreus omnes  
Vrgeret somnus, vigilans nisi semper apertis  
Adstares oculis: Labor otia, cura quietem,  
Atque voluptatem tua vita seuera parabit

Omnibus. Has igitur, quas debet Gallia, grates  
Tu sine agat potius. Patriæ prodeſſe cupisti  
Sed magis atque magis: Tibi Rex donauit, ut omnes  
Sollicitus tendas in publica commoda neruos.  
Omnibus hos cupide votis optare labores  
Cura fuit tibi summa. Regat licet omnia ſolus  
Et nutu ſolus Gallorum temperet orbem,  
Imperio tanto Rex maior, nil tibi maius,  
Ut credis, donare tibi potuisse videtur  
Nil melius, quam si te nocte dieque iuberet  
Conanter ſummos pro cunctis ferre labores.  
Regi igitur grates ut agas licet: At tibi tota  
Gallia, dum loqueris, media inter verba rcelamat.  
HARLAEV斯 tibi, REX ſumorum maxime Regum,  
Se debere tibi verbis animoque fatetur,  
Semper in excubiis ſibi quod vigilare dediſti,  
Ut me cum magnis poſſit defendere curis.  
Hos igitur tanti, quæ ſola quieta, laboris,  
Tam dulces numquam ceſſabo carpere fructus,  
Qua poſſum, virtute tua quæ plurima poſſum,  
Qua grata poſſum teſtari mente ſalutem?





ALEXANDRI POGOESÆI CARMEN,

AD PHILIPPVM BELINVM, DE SCITISSIMO  
PVERO PHILIPPO BELINO,

quem filium vnicum pater morte sic amisit, ut vir  
fortissimus magnitudinem animi, contra  
vim tanti doloris, retinuerit.



**E**unere quem rapuit tibi Mors immritis  
acerbo,  
His tibi carminibus meditamur reddere  
natum.

Carmina dicuntur manes excire sepulchris.  
At licet audisset quo murmure Thessalus umbras  
Euocat in lucem, tales tamen ore nefando  
Et tam sacrilegas non ausim rumpere voces.  
Nam semel ut placida manes in morte quiescunt,  
Ecquis sollicitet in cuncto surgere somno?  
Nox tacitis positum blandè complectitur umbris  
Sopitum caput: Hic sua stare silentia mater  
Nox iubet, admissa temere ne forte loquaces  
Tranquillæ pacis bona, voces, otia turbent.  
Hoc mea de tumulis funesto carmine manes  
Carmina non rapiunt: Viuum tamen ecce, videsne  
Ut caput è tumulo rediuiuus filius effert?  
Vana tuos sensus deceptos lusit imago.

At debere potes spem si tibi longius istam,  
Fer modo, reddo oculis tibi clara in luce videndum,  
Aequalemq; sibi, similemq; per omnia natum.  
Ante puer fuerat: Puerilis forma referre  
Et poterit ductis exactos mensibus annos,  
Et poterit viui spirantes corporis artus.  
Os tenerum geminis libabat ut oscula labris,  
Collectum paruis sic os utrinque lacunis  
Purpureo tinget tam bella labella colore.  
Dentibus albescens splendebat eburneus ordo,  
Sic ebur hoc fissum splendore nitescit eodem.  
Emicuit claris scintillans ardor ocellis,  
Splendor idem lumen gemino de lumine fundet.  
Quæque prius fuerant longi discrimina nasi,  
Hæc eadem prorsus nullum discrimin habebunt:  
Nam teretes aures sublate ad tempora surgent.  
Mollis erat capitinis pilus & sufflauis, ut ante  
Idem mollis erit pariter flauusque capillus.  
Ut puer incessu festinans lentiū ibat,  
Hunc mea sic gressu moderato Musa mouebit,  
Hunc ita ferre suis pedibus mea carmina pergent,  
Corporis ut species erit hac speciosa videri!  
Forma sed ingenij multo formosior omnes  
In partes: Hic namque pudor pueriliter audax  
Mellito sermone fluet, quoque arsit amore  
Musarum, in nostris idem quoque versibus ardor  
Lucebit clare: Quos virtus integra mores  
A cunctis puros vitiorum sordibus ante  
Seruabat, noster fundens sua lumina Phœbus

Omnibus ostendet populis, gentesque per omnes  
Hanc pennis famam velocibus ire iubebit.

Rite tuo inferias tales mihi mittere nato  
Est animus, Pater: haec voueo non vilia dona,  
Sum votireus: At dum voti damnat Apollo,  
Diffindi, BELINE, dies mihi postulo multos.  
Interea, si sum tibi curæ, impendito curam  
Ut viuas: A me si, qui tua funera cantent,  
Expectas elegos, spem frustra pascis inanem:  
Non etenim viuam, si quæ tibi stamina vitæ  
Rumperet, hos eadem non Parca resolueret artus,  
Hos, qui non grauibus, tam paruo in corpore, vinclis  
Hunc animum retinent, animum qui iunctus amore,  
Dimidia cum parte tui, BELINE, cohæret.



G. FAIO CANONICO CHARNV-  
tensi, Reginæ Matris Eleemosinario, Alexan-  
dri Pogœsæi pro xenijs, ZONA.

**F**Si bene præcinctus, Fai, tamen accipe Zonam.  
Huic ego mandaui ne te complexa teneret  
**H**Tam magno, quām te vincū complector amore:  
Nam quando nexionis te solueret anxia nodis?  
Ergōne cedo bonis? Nam Zonæ vincula soluit  
Debitor æris inops, cui ius ciuile remittit,  
Ne soluat nomen: Fateor, semperque fatebor  
Me debere tibi quantum non reddere possim,  
Nomina sed nobis, bone creditor, omnia donas.  
Namque tibi non arca deest. Non hanc tibi dono,  
Tanquam perdideris possis vel perdere Zonam.  
Non hæc virginibus quondam subnixa Lacænis  
Texerat occultum tacita sub ueste pudorem,  
Virgineam castus Zonam soluisse timeres.  
At Zonis triplex si Gratia nuda soluis  
Ire solet, dubito gratum, quod Zona reuincit,  
An tibi sit munus, cui Gratia libera pugnat.  
Sunt comites illæ Veneris, quibus, optime Vesper,  
Dum Cytherea choros ducit tua, lumina præfers.  
Sed tibi si, Fai, magno pro munere Cestum  
Mitteret ipsa Venus, Veneris tu munus amares?

Captus an illecebris caperes tam futile donum?  
Ut grauis es, nunquam faceres: Tibi pura voluptas  
Dulcius ē liquido diuini nectaris vndam,  
Fonte, nec arescit tam plumen amabile fundit.  
Quid si, casta satis non credita, Claudia Zonam  
Tenderet, acciperes? Siquidem distenta morantem  
Harentemque in aqua, mira virtute, Deorum  
Ad littus matrem facilis subduxit ab unda.  
At nil quod nolis de te mala Fama susurrat,  
Imo Fouem Elicium tibi mens diuina, iacentes,  
Supplicibus votis cœlesti dicit ab arce  
In terras: Quanquam noli contemnere zonas,  
A te ne credant sperni sua numina Diui.  
Namque sibi a Zonis hic ducunt nomen, ut ille  
Duxit ab eversa Carthagine Scipio nomen.  
Est deus Alcides, etiam zonarius: Omnes  
Sic digni gaudent, stabili qui sede quiescunt,  
Et dubij vario non cœli errore vagantur.  
At tibi Leucothoe, namque est Dea candida, zonam  
Si daret, acciperes? Tanquam tu credere ventis,  
Fratoque velis vitam committere ponto,  
Naufragus & nudus quo vix enauit Vlixes.  
His tibi non opus est, Fai clarissime, Zonis,  
Ut tibi non opus est hac, quam tamen accipe, zona.  
Vtilis ante mihi fuit, haec bona namque magistra  
Verba mihi dictat, quæ tu legis omnia, mutus  
Hac sine, nam vocis mihi quæ noua caussa? fuisset.  
T'entasse me tuas modulari carmine laudes?  
Argumentum ingens, nostris & viribus impar:

Quod tamet eternis meditamur pingere chartis.  
At semel in lucem quæ sunt ventura, tot annis  
Victura, hæc multis, cauti, tractabimus annis,  
Extremo donec satis ungue polita nitescant.  
Accingor ad opus: Tu vero cingere corpus  
Hac indignari, Fai carissime, zona  
Noli: Nam cœlum, quo tu caput arduus effers  
Ipsum etiam cœlum, quo tu post Fata quiesces  
Non indignatur zonis vel quinque teneri.



ALEXANDER POGOESÆVS  
Lectori.

**A**dmeti quando pascebat Apollo iuuencos,  
Debuit articulis non tetigisse lyram.  
Nam cur ad brutas bona carmina perderet aures?  
Ad numeros tauri corpora (credo) mouent.  
Argente de populi Phœbeos inter olores  
Ausus sum digitis increpuisse lyram.  
Peccavi, fateor: Quid tum? Peccauit Apollo,  
Quin magis est Phœbi quam mea culpa grauis.  
Nam bona perdebat, prudens, sua carmina Phœbus,  
Do mea, quò fiant optima, quæ mala sunt.

*Idem* Lectori.

Quem nos Christophoro debemus, habemus honorem,  
Huius qui verbis funera prosequimur.  
Ornari tanto nolles tu, Lector, honore,  
Nænia non tanti est ut moriare? Sapis.  
Vivis ut fias bonus, ut fuit ille Thuanus?  
Vine igitur, longa nam tibi vita opus est.



VS



15,

em,

H


LE P  
TREG  
UTRE'  
Seigneur


AMIER P  
Sc  
par fin.


VEREN.  
ASIADE.


M. L. H  
de Chine

eland Ca  
Maitre,









Restauré et relié à l'atelier  
bibliothèque en 1985.

par M. FERRAZZA  
et A. PERROT-MINNOT.







